

EPISTULA LEONINA

CXLVII

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXLVI** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM QUADRAGESIMAM SEPTIMAM (147) !

ARGUMENTA

TEMPORA MUTANTUR.....	03
Servate Nuntios Finnorum Latinos!	04 - 08
Theodericus Sacré et Christianus Laes sodalibus ALF s.p.d.....	05
lidem directoribus radiophoniae Finnicae (anglice).....	06
Annuntiatio ultimae emissionis Latinae (anglice).....	07- 08
Historia de Sancto Silvestro (Iacobus de Voragine).....	09 - 13
Tres argutiolae Hotzenplotzianae: raptor – scamnum - situs.....	14 - 18
Annuntiatio libri: Calio Fabula Latina (Hirschler/Leo Latinus).....	19
Echus voces (Cristini – Fritsch – Hirschler).....	20 - 23
VOTA IN ANNUM MMXVIII INEUNTEM SCRIPTA.....	24

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam quadragesimam septimam. Quadam pausâ interpositâ (quae erat laboribus scholaribus effecta) tibi praebeo res Latinas quam maximê varias, cum persuasum mihi sit varietatem delectare. Die Silvestri habeas piam fabulam eiusdem viri sancti legendam. Ceterum alia huic Epistulae Leoninae insunt multa. Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 147 tolle et lege et laetare et ... anno MMXVIII rogo ut fideliter pergas legere Epistulas meas. Sit tibi idem annus faustissimus!

Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Papae Silvestri, i.e. Die Anni Ultimo,
31. m.Dec. a.2017**



TEMPORA MUTANTUR

cfr **OVIDIUS**, *Fasti* 6,771 *tempora labuntur tacitisque senescimus annis...* cfr id. *Metamorphoses* 15,165 et 15,214 sqq. *Omnia mutantur...* cfr **CORIPPUS**, *Iohannis* 7,91 *Tempora permutas nec tu mutaris in illis* cfr **Caspar Huberinus** (*Postilla Deudsch*, Frankfurt an der Oder 1554, fol. 354.): *Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis;/ Tempora mutantur, nosque mutamur in illis.* cfr **Johannes Nas** (*Das Antipapistisch eins vnd hundert*, [Ingolstadt] 1565, fol. 83): *Tempora mutantur et nos mutamur in ipsis;/ Die zeit wirdt verendert / vnd wir in der zeit.* - **Andreas Gartner**: *Proverbalia dicteria*, [Frankfurt am Main] 1566, (s. pp.) Decas 16: *Tempora mutantur, et nos mutamur in illis.* - **Matthias Borbonius**: *Caesares*, Lipsiae 1595, s. pp., Lotharius Primus CLIII: *Omnia mutantur, nos et mutamur in illis;/ Illa vices quasdam res habet, illa vices.*- In versibus Nasi et Gartneri inest difficultas metrica: ...*mutantur, et nos...* (deest longitudo positionis); sed talis exceptio invenitur etiam apud classicos, e.g. **VERGILIUS**, *Bucolica* 10, 69 *Omnia vincit amor, et nos cedamus amori*; cfr Friedrich Crusius, *Römische Metrik*, § 31.

<https://www.youtube.com/watch?v=8TivekgZZME>

Joseph Haydn - *Symphonia* n. 64: "*Tempora mutantur*".

SERVATE NUNTIOS FINNORUM LATINOS



[Raili Löyttyniemi](#) Helsinki

Nuntii Latini, conspectus rerum hebdomadalis, qui auspiciis Radiophoniae Finnicae Generalis (Yle) inde ab anno 1989 editur, est programma nuntiorum Latine divulgatorum in orbe terrarum omnium veterrimum.

Emissiones ab Reijo Pitkäranta et Tuomo Pekkanen alternis vicibus redactae et radiophonice et per interrete in yle.fi/nuntii audiri possunt. Rogatur, ut quaestiones responsionesque ad Nuntios Latinos pertinentes ad hanc inscriptionem electronicam mittantur: nuntii.latini@yle.fi.

1.12.2017

Theodericus Sacré et Christianus Laes sodalibus ALF s.p.d.

Modo modo comperimus futurum esse propediem ut Nuntii Latini, quos nemo vestrum ignorat, e Finnia per orbem emitti per undas radiophonicas prorsus desinant. Quam cum rem molestissime feramus, a moderatoribus 'Radiophoniae Finnicae Generalis' sumus flagitaturi ut calamitoso eo desistant consilio.

Ne vero illi ad libellulum nostrum Anglice exaratum obturent aures, optandum est vehementer ut quam plurimi sodales postulationi huic subscribant. Veremur autem ne nimiam temporis faciamus hac ratione iacturam. Idcirco a Nicolao, ALF a secretis, petemus ut ipse nomina vestra, additis studiorum universitatibus vestris, libello subiungat. Quod si quis vestrum aliqua de causa libellulum non comprobaverit, Nicolaum nostrum De Mico intra quadriduum moneat velimus nomenque suum ex albo subscriptorum tolli iubeat. Qui vero nihil rescripserint, ab iis libellulum comprobari existimabimus; cuius verba huic epistolio adiuncta videbitis. Libellulus ipse die 5 m. Decembris moderatoribus 'Radiophoniae Finnicae Generalis' in manus dabitur.

Utinam flectere fata valeamus atque una voce, uno ore reclamantes, Nuntiorum Latinorum vitam in multos annos producere queamus! Valetate optime!

Leuven, Antwerpen, 1 December 2017.

**To: Lauri Kivinen, CEO of YLE
Kaj Färm, Director of Programs YLE**

Concerning: Nuntii Latini

Dear Sirs,

It is with great sadness that we learned about the cancelling of the Nuntii Latini in the YLE programming.

For almost thirty years, the Latin News has stood out as a beacon for the Living Latin Movement. In a way, it has been an important Finnish export product, as it has been, and still is being, used extensively in schools and handbooks for learning Latin worldwide.

At a moment when the living approach' in the didactics of ancient languages is gaining more and more importance (as witnessed in websites and podcasts throughout the world), it would be a shame that Finland is abandoning an enterprise for which YLE has in a way been a forerunner.

As president and vice-president of the long-standing international Academia Latinitati Fovendae (ALF), which brings together academics throughout the world, we kindly ask you to overturn this decision and to reconsider this important tool for the international promotion of Latin. We do so in the name of the following colleagues, whose names and affiliations you will find on the second page of this letter.

With all best regards,

Prof. Dirk Sacré (Catholic University of Leuven)

President of the ALF

Prof. Christian Laes (University of Antwerp)

Vice-President of the ALF

<https://yle.fi/aihe/artikkeli/2017/11/23/yles-nuntii-latini-to-be-broadcast-for-the-last-time-in-late-december>

Yle's Nuntii Latini to be broadcast for the last time in late December



The makers of Yle's Nuntii Latini: Tuomo Pekkanen, Virpi Seppälä-Pekkanen and Reijo Pitkäranta. Picture by: Laura Mainiemi

[Tuire Juusela](#) Helsinki

Yle's last weekly news reviews in Latin will be broadcast on Yle Radio 1 in December 2017. *Nuntii Latini* has been produced for Latin-speakers for more than 28 years.

The programme was created by radio host **Hannu Taanila** and Latinist **Reijo Pitkäranta**. Pitkäranta, who is a docent at the University of Helsinki, and professor **Tuomo Pekkanen** from the University of Jyväskylä, together with **Virpi Seppälä-Pekkanen**, have kept the programme running from the beginning.

“Yle thanks the *Nuntii Latini* team for nearly 30 years of unique cultural cooperation. The Latin news programme has been the only one of its kind, and widely known around the world. The programme was created in Finland, and for Yle, as a result of the coming together of visionary ideas and the right people; people often mistake it for an

Italian programme, or think it is produced by Vatican Radio”, says producer **Ari Meriläinen**.

There are not many Latin speakers, and *Nuntii Latini* has always been produced for small audiences. Listeners are mostly Latin students, language enthusiasts and Latinists. The programme has also been used as teaching material. However, the internet now offers many opportunities for Latin language enthusiasts.

Learning content and services are an important part of Yle’s public service, and they are being continuously developed. In recent years, the focus has been on civic competencies and content of general interest. There is plenty of demand, for example, for improving the digital media skills of all age groups.

In addition to Finnish and Swedish news, Yle produces news in Sami, Romani, Finnish Sign Language, plain Finnish and Karelian, as well as in English and Russian.

Latin students can find all Nuntii Latini programmes starting from 2011 on Yle Areena at yle.fi/nuntii. In addition to the radio news, the pages contain all news in text format as well as some core vocabulary. The last Nuntii Latini weekly news review will be broadcast on Yle Radio 1 on Friday 21 December 2017 at 6:15 p.m.

More information:

Timo Järvi, Executive Producer, tel. +358 400 634853,
timo.jarvi@yle.fi

IACOBUS DE VORAGINE HISTORIA DE SANCTO SILVESTRO

<http://www.thelatinlibrary.com/voragine/silv.shtml>



Silvester a matre re et nomine Iusta genitus a Cyrino presbytero eruditus hospitalitatem summe exercebat. Timotheus autem quidam Christianissimus ab eo in hospitium suscipitur, qui tamen ob persecutionem ab aliis vitabatur. Hic coronam assecutus est martyrii, dum praedicaret constantissime fidem Christi. Putans autem Tarquinius praefectus Timotheum multis abundasse divitiis eas a Silvestro expetiit inferens ei minas mortis. Se cum vero Timotheum huiusmodi divitias non habuisse comperit, Silvestrum idolis immolare praecepit, alioquin in crastinum diversa reciperet genera tormentorum. Cui Silvester: "Stulte, hac nocte morieris et sempiterna tormenta recipies et, velis nolis, verum Deum esse, quem colimus, recognosces."

Silvester igitur carceri traditur et Tarquinius ad prandium invitatur. Dum ergo comederet, os piscis in eius gutture sic versatur, ut nulla ratione reicere potuerit vel glutire. Sicque media nocte defunctus ad tumulum cum luctu ducitur et Silvester cum gaudio a carcere liberatur, qui non solum a Christianis, sed etiam a paganis miro diligebatur affectu. Erat enim aspectu angelicus, sermone nitidus, integer corpore, sanctus opere, consilio magnus, fide catholicus, spe patientis simus, caritate diffusus.

Mortuo igitur Melchiade, episcopo urbis Romae, Silvester ab omni plebe plurimum renitens in summum pontificem est electus. Hic omnium orphanorum et viduarum et pauperum nomina in matricula

scripta habebat et omnibus necessaria providebat. Hic quartum et sextum diem et sabbatum ieiunium instituit observandum, quintum vero quasi dominicum re servandum. Graecis vero Christianis dicentibus sabbatum potius quam quintum diem celebrandum respondit hoc fieri non debere, et quia hoc est traditionis apostolicae et quia dominicae debetur compassio sepulturae. Cui illi: "Unum est sabbatum sepulturae, in quo semel in anno ieiunium exhibendum." Quibus Silvester: "Sicut omnis dies dominicus resurrectionis gloria sic omne sabbatum decoratur dominica sepultura." Igitur de sabbato acquiescunt, sed de quinta feria vehementer contendunt asserentes non debere Christianorum solemnitatibus sociari. Silvester autem eius dignitatem praecipue in tribus ostendit. Quoniam hac die Dominus coelum ascendit et corporis sui et sanguinis sacramentum instituit et sacrum chrisma ecclesia confecit. Omnes igitur rationibus eius acquiescunt.

Persequente autem Constantino Christianos Silvester de urbe exiit et in quodam monte cum suis clericis mansit. Ipse autem Constantinus merito persecutionis tyrannicae in incurabilem cecidit plagam leprae. Tandem ad consilium pontificum idolorum adducta sunt tria milia puerorum, ut eos occidi faceret et se in eorum sanguine recenti et calido balnearet. Egrediente autem eo ad locum, ubi balneum parari debebat, matres puerorum eidem occurrerunt, quae resolutis crinibus miserabiliter ululabant, et lacrimans Constantinus iussit stare currum et erigens se dixit: "Audite me, comites et commilitones et omnes populi, qui adstatis. Dignitas Romani populi de fonte nascitur pietatis, quae etiam hanc legem dedit, ut capitali sententiae subderetur, quicumque in bello occidisset infantem. Quanta ergo erit crudelitas, ut hoc nostris faciamus filiis, quod fieri prohibuimus alienis! Quid iuvat barbaros superasse, si a crudelitate vincamur? Nam vicisse extraneas nationes ratione virium est bellantium populorum, vincere autem vitia et peccata virtus morum. In illis ergo proeliis fortiores nos existimus illis, in his vero nobis ipsis fortiores simus. Qui enim fuerit in isto certamine superatus victoriam obtinet victus. Victor autem post victoriam vincitur, si pietas ab impietate superatur. Vincat ergo pietas in isto congressu.

Bene enim omnium adversariorum poterimus esse victores, si sola pietate vincamus. Omnium enim se esse dominum comprobatur, qui

servum se monstravit pietatis. Melius est ergo me mori salva vita innocentium quam per eorum interitum vitam recuperare crudelem. Quam tamen recuperare incertum est, cum tamen certum sit, quod sic recuperata crudelis est." Iussit igitur, ut matribus sui pueri redderentur et dona plurima et infinita et vehicula praeberentur. Sicque matres, quae flendo venerant, ad loca sua cum gaudio redierunt. Ipse autem imperator ad palatium suum reversus est.

Sequente vero nocte Petrus et Paulus apparuerunt ei dicentes: "Quoniam exhorruisti effusionem sanguinis innocentis, misit nos Dominus Iesus Christus dare tibi recuperandae consilium sanitatis. Silvestrum igitur episcopum, qui apud montem Siraptim latitat, accerse. Hic tibi piscinam ostendet, in qua immersus tertio ab omni curaberis leprae morbo. Tu vero Christo hanc vicissitudinem reddas, ut idolorum templa diruas, Christi restaures ecclesias et eius deinceps cultor fias." Evigilans igitur Constantinus statim milites misit ad Silvestrum. Videns autem Silvester milites statim ad palmam martyrii credidit se vocari. Deo autem se recommendans et socios secum adhortans Constantino intrepidus praesentatur. Cui Constantinus ait: "Bene te venisse gratulamur." Qui a Silvestro resalutatus narravit ei per ordinem sui somnii visionem. Percunctanti vero Constantino, qui essent illi duo dei, qui sibi apparuerunt, Silvester respondit illos esse Christi apostolos et non deos. Tunc ad preces imperatoris Silvester apostolorum imagines sibi iussit afferri. Quas ut imperator aspexit, tales esse, qui sibi apparuerunt, exclamavit.

Silvester igitur eum catechumenon fecit et unius hebdomadae sibi ieiunium indixit et carceres aperire monuit. Cumque in aquam descendisset baptismatis, mirabilis ibi emicuit splendor lucis, sicque inde mundus exivit et Christum se vidisse aperuit. Prima autem die sui baptismatis hanc legem dedit, ut Christus in urbe Romana tamquam verus Deus coleretur. Secunda, ut, si quis Christum blasphemaret, puniretur. Tertia, ut, quicumque Christiano fecisset iniuriam, bonorum suorum parte dimidia privaretur. Quarta, ut sicut imperator Romae sic Romanus pontifex caput ab universis episcopis habeatur. Quinta, ut, quicumque in ecclesias confugerit, ab omnibus servetur iniuriis immunis. Sexta, ut nullus nisi de licentia sui antistitis ecclesiam aedificet intra muros alicuius civitatis. Septima, ut ad aedificationem ecclesiarum decimae possessionum regalium tribuantur. Octava

imperator ad ecclesiam Sancti Petri venit et de suis culpis se lamentabiliter accusavit. Postmodum arrepto bidente ad fundamentum ecclesiae basilicae construendum terram primus aperuit et duodecim cophinos in suis scapulis foras eiecit. [. . .]

Post aliquos vero dies idolorum pontifices ad imperatorem venerunt dicentes: "Sacratissime imperator, ille draco, qui est in fovea, postquam fidem Christi recepisti, plus quam trecentos homines quotidie interficit flatu suo." Consulente super hoc Constantino Silvestrum <is> respondit: "Ego per Christi virtutem eum ab omni cessare laesione faciam." Promittunt pontifices se, si hoc faciat, credituros. Orante autem Silvestro Sanctus Spiritus ei apparuit dicens: "Securus ad draconem descende tu et duo presbyteri, qui sunt tecum, cumque ad eum veneris, eum taliter alloquaris: 'Dominus noster Iesus Christus de virgine natus, crucifixus et sepultus, qui resurrexit et sedet ad dextram patris, hic venturus est iudicare vivos et mortuos. Tu ergo Satana, eum in hac fovea, dum venerit, exspecta.' Os autem eius ligabis filo et anulo crucis habente signum desuper sigillabis. Postea ad me sani et incolumes venietis et panem, quem vobis paravero, comedetis." Descendit itaque Silvester cum duobus presbyteris in foveam per gradus CL duas secum ferens laternas. Tunc draconi praedicta verba dixit et os ipsius stridentis et sibilantis, ut iussus fuerat, alligavit et ascendens invenit duos magos, qui eos secuti fuerant, ut viderent, si usque ad draconem descenderent, ex draconis foetore paene mortuos. Etiam eos secum adduxit incolumes atque sanos, qui statim cum multitudine infinita conversi sunt sicque Romanorum populus a duplici morte liberatus, scilicet a cultura daemonis et veneno draconis. Tandem beatus Silvester morti appropinquans clerum de tribus admonuit, scilicet ut inter se caritatem haberent, ecclesias suas diligentius gubernarent et gregem a luporum morsibus custodirent. Post haec in Domino feliciter obdormivit circa annum Domini CCCXX.

HAEC DE SANCTO SILVESTRO NARRAT IACOBUS DE VORAGINE IN LEGENDA SUA AUREA

<http://www.thelatinlibrary.com/voragine/silv.shtml>

TRES ARGUTIOLAE HOTZENPLOTZIANAE: RAPTOR – SCAMNUM - SITUS

Andreas Fritsch professor Berolinensis emeritus defensorque Latinitatis vivae indefessus me nuper litteris d.20. m.Nov. datis certiore fecit tria verba versionis meae Hotzenplotzianae¹ esse vituperata. Andreas enim mihi scripsit in Symposio Latinitatis Recentioris Valle Vipperae (*Wuppertal*) nuper facto (d.10. m.Nov., h.9 - h.9.45, cfr EL 145, p.4 sq.) *Christophorum Schubert* professorem Erlangensem, cum de libris puerilibus nostra aetate in Latinum conversis acroasin fecisset, Hotzenplotzium meum Latinum commemorasse:

»*Etiam Hotzenplotzium tuum breviter commemoravit, sed de cognomine ‚raptoris‘ addubitavit, quia nomen raptoris magis tales viros significaret (ut ille dixit), qui Theodisce Mädchenräuber vel etiam Vergewaltiger nominantur. In prima sententia vocabulum scamni addubitavit, quod esset Hocker sive Schemel, nec posse dici scamnum esse ‚situs‘, quia hoc adiectivum (situs, a, um) non esse aptum*«.

(1) Primo de raptore (*orig. theod. "Räuber"*)

cfr OLD (Oxford Latin Dictionary) 1574 **raptor** ~ōris m. [RAPIO +-TOR]

1 **One who ravages or plunders, robber.**

b (applied to a hunter; to a beast or bird of prey).

c one who snatches away or runs off (with anything)

a rapta et raptores tradere PLAUTUS Am.206; raptor hostium Epid.300; fugies inaudax proelia raptor HOR.carm.3.20.4. incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro PROP.4.9.9; nullas...feres nisi sanguine sacro sparsas, raptor, opes LUC.3.125; (cf.) raptores orbis...mare scrutantur TAC.Agr.305. (facet.) raptores panis et peni PLAUT.Trin.254...

2 (spec.) One who carries off (in order to violate), a ravisher, abductor.

Raptori pueri PL.Men.65; raptoris...Ditis PROP.3.22.4; uictus es a timido Graiae raptore maritae OV.met.12,600. *Fast.* 4,590. raptorem filiae meae TAC.Ann.1,58

¹ DE RAPTORE HOTZENPLOTZIO. Fabula Casparuli quam theodisce narravit Otfried Preußler, in Latinum convertit Nikolaus Groß. Editio prima in domo editoria, quae appellatur LEO LATINUS. Senden in oppido Bavariae Suebicae a.2013. i.e. versio Latina originalis operis theodisci: Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz. Eine Kasperlgeschichte von Otfried Preußler. K. Thienemanns Verlag Stuttgart 11.Auflage 1968.

Non agitur de vi verbi speciali, sed generali. Verbum raptoris sensu generali valet hominem, qui violenter auferat possessionem aliorum hominum. Hic sensus verbi generalis invenitur sat multis locis antiquis. Ergo raptor nequaquam potius aut saepius rapit homines (speciatimve puellas) quam alias res, sed generaliter rapit res aliorum. Ex altera parte etiam Hotzenplotzius hominem rapit: Iosephulum enim, quem putat esse Casparulum et cogit, ut sibi serviat.

Ergo secundum locos antiquos supra allatos licet Hotzenplotzium appellare raptorem neque ullo modo hic usus verbi discrepat ab aurea Latinitate.

Num idem furcifer ab *Otfrido Preußler* iocose descriptus aptius dicitur **latro**? Ut nomen latronis ratione iuridica distinguamus a nomine raptoris, attente legamus verba *Francisci Iosephi Bratsch* iurisconsulti:

Über weiland der Römisch-Kayserlichen ...Majestät Ferdinandi des Dritten
Peinliche Lan//Gerichts//Ordnung in Österreich unter der Enns...durch Franz-
Joef Bratsch..., Regierungs-Rath in Justiz-Sachen. Wien in Oesterreich Anno
1751, p.188:

»Der ein- und siebenzigste Articul vom Meuchel- und Strassen-Mord.
Ad ingressum. Beraubt. Einen Raub begehet derjenige, welcher Leut, jedoch ohn
Mordthat auf der Strassen, in Städten, Dörfferen, Märckten und Häusern mit
Gewalt ausraubet. Et vocatur raptor, grassator, praedo, robbator, praedator.
...wann er...zugleich um das Leben bringet, vocatur **l a t r o**, **Mörder**, &
differt a r a p t o r e, quod raptor homines vi spoliat **s i n e i n t e r n e c i o -**
n e, **latro autem cum interneccione**. ...«

Haec definitio raptoris optime quadrat ad Hotzenplotzium Preußleri minus periculosum quam iocosum: is enim pistolium suum non complet glandibus plumbeis, sed solo pipere. Ergo Hotzenplotzius est raptor, non latro!

(2) Deinde de scamno (*orig. theod. "Bank"*)

De Romanorum supellectilibus sedilibus subtilissime refert Ieremias (*Jeremy*) Hartnett in opere, quae sic inscribitur: Jeremy Hartnett, *The Roman Street: Urban Life and Society in Pompeii, Herculaneum, and Rome*. Cambridge University Press 2017, p.196:

»*The Street and its architectural border. n.3: Romans had two names for a multiseat bench without arms or back: subsellium and scamnum. Which they used for street-side benches, is not clear, since no source, to my knowledge, describes the constructions by name.... Subsellium ist the more common term; it regularly describes the wooden seating arranged for groups of people, such as audiences at poetic recitations (Juv.7.45. 7.86; Pliny Ep.2.14.6; Tac.Dial.9.3; Suet.Claud.41.1); By contrast, scamnum is both a less distinct and less frequent term. It is at times used interchangeably with subsellium, such as to describe the theater seats reserved for equites (Mart.5.41: Marble scamna are mentioned in CIL 4.1066, yet it also describes a footstool as well as a bench and therefore can epitomize humble furnishings (Varro, Ling.5.168; Cod.Theod.3.1.2; subsellia vel, ut vulgo dicunt, scamna; Val.Max.4.3.5: Ov.,Fast.6.305... «*

Secundum explicationes Ieremiae Hartnett scamnum non solum est i.q. theodisce dicitur *Hocker* vel *Schemel*, sed etiam i.q. theodisce vocatur *Bank* et anglice *bench*.

Potui quoque dicere *subsellium* in illo loco, ubi Latine reddidi verbum Preußleri, quod est *Bank*. Sed liceat afferre locum Latinum, ubi quidam humanista praeclarus pro verbo anglico *bench* adhibet Latinum *scamnum*:

THOMAS MORUS, Utopia I, 26sq.

Haec ubi narravit Petrus, actis ei gratiis, quia tam officiosus in me fuisset, ut cuius viri colloquium mihi gratum speraret, eius uti sermone fruerer, tantam rationem habuisset (27), ad Raphaelem me converto, tum ubi nos mutuo salutassemus atque illa comia dixissemus, quae dici in primo hospitem congressu solent, inde domum meam degredimur ibique in horto consistentes in scamno caespitibus herbeis constrato confabulamur.

Denique a notione *scamni* tractanda haud discrepant verba iurisconsulti, quae sequuntur:

Johannes Christophorus Purckhauerus (Rotenburgo Francus): *Dissertatio juris publici De scamno comitorum transverso. Von der Querbanck*, Jenae 1707, p.1 sq.:

»*Sectio I. Generalis scamni pertractatio. § II. Caeterum varie a politioris literaturae auctoribus scamnum usurpatur. Sic enim scamnum sumptum*

generaliter aliquando denotat id, quod pedibus sedentium subjici solet, Germ. Ein Fußschemel. Ita namque ap. Ovid in Art. Amand. legitur Scamna/ Et cava sub tenerum dedisse pedem¹. ...

Specialiter autem & proprie significat certum quodpiam sedile, cui insidere solemus, de quo Ovid. Fastorum l.6: Ante focos olim scamnis considerare longis/ mos erat².«

E verbis Hartnettii et Purckhaueri necnon Ovidii ipsissimi satis clare patet Christophorum Schubertum errare, quantum attinet ad vim verbi, q.e. *scamnum*.

(3) Tum de adiectivo, q.e. situs, -a, um:

Ut usum huius verbi meum sat clare explicem, oportet afferam contextum originaliter theodiscum eundemque in latinum conversum:

Preußler, op.mem., p.7: »*Einmal saß Kasperls Großmutter auf der Bank vor ihrem Häuschen in der Sonne und mahlte Kaffee.*«

Haec autem verba Preußleriana reddidi verbis Latinis, quae sequuntur:

Groß, op.mem., p.6: »*Aliquando sole splendente avia Casparuli, cum insidêret scamno ante domunculam suam **sito**, cofeam molebat.* «

Schubertus autem opinatur me falso usum esse adiectivo, q.e. *situs, -a, -um*. Putare videtur hoc verbum non posse coniungi cum re, quale sit *scamnum*. At oportet inspiciamus locos huius verbi testes antiquos:

Oxford Latin Dictionary 1775, s.v. situs ~a ~um: 3 **Placed in relation to its surroundings, situated, positioned.**

In suo **quicque** loco nisi erit mihi **situm supellectilis** PL.St.62; ... uti in medio **prelum** recte **situm** siet CATO Agr.19.2; ... **ara** sub diu **sita** PLIN.Nat.2.240; Hortensii inter oratores **sitam imaginem**...intuens TAC.Ann.2.37.

Si *supellectiles* et *prelum* et *ara* et *imago sitae* esse possunt, quidni *scamnum aviae* Casparuli? Ergo hic quoque usus verbi non est causae, cur philologus rugis frontem contrahat.

¹ cfr OVIDIUS, Ars amatoria 1,161 sq.: profuit et tenui ventos movisse tabella/ et cava sub tenerum **scamna** dedisse pedem.

² cfr OVIDIUS, Fasti 6,305 sq. Ante focos olim **scamnis considerare longis/** mos erat et mensae credere adesse deos.

His locis antiquis recentioribusque perquisitis demonstravi me in versione mea Hotzenplotziana tria illa vocabula, q.s. *raptor* et *scamnum* et *situs*, nequaquam falso adhibuisse, sed secundum exemplum bonorum auctorum Latinitatis antiquae.

**DE TRIBUS ARGUTIOLIS HOTZENPLOTZIANIS, Q.S.
RAPTOR – SCAMNUM – SITUS**

RETTULIT



LEO LATINUS

ANNUNTIATIO LIBRI: CALIO. Fabula Latina

Mythologia Graeca. Volumen Primum. Calio Fabula Latina scripsit Michael Hirschler. Vindobonae MMXVII. Hanc fabulam finxit scripsitque: Michael Hirschler. Imagines pinxit: Ivan Zamyslov. ISBN-13 : 978-1978197169. 59 pp. € 10,60.

En lege verba praefationis priora :

»**Verba auctoris.** Hic libellus, qui inscribitur ‘Calio. Fabula Latina’, est primus, qui editur in serie novā, quae vocatur ‘Mythologia Graeca’. Hac in serie scribere in animo habeo fabulas novas ad mythologiam Graecam pertinentes, sed fabulas Graecas illas notissimas non narrantur¹. Multi enim sunt libri, in quibus legere possumus fabulas varias, sive de Theseo et Minotauro sive de Plutone Proserpināque sive de Iove et Europā et multas alias. Hae fabulae, quae² nunc memoravi, notissimae sunt. Ego autem hāc in serie scribere volo de fabulis, quae non sunt traditae, sed a me fictae. Ego enim facultatibus utor, quae mythologiā Graecā nobis omnibus dantur.

Scripsi hanc fabulam omnibus lectoribus lectricibusque, qui/quae³ vel in pueritiā vel in adolescentiā vel in senectute sunt. Unicuique vestrum haec mea fabula magno gaudio sit! ...«

(Sequetur existimatio huius fabulae).

¹ Verisimile est auctorem scribere voluisse: fabulae Graecae illae notissimae non narrantur. An potius: ‘...sed nolo narrare fabulas Graecas illas notissimas’ ?

² quas

³ Talem usum pronominum relativorum „alternativum“ – ut ita dicam – apud auctores Latinos nondum invēni.

ECHŪS VOCES

d.22 m.Dec a.2017

MARCUS CRISTINI ITALUS BRIXIANUS

Marcus Nicolao s.p.d.

Care Nicolae,

valde gaudeo, quod *Horas generis humani stellares* in Latinum sermonem convertere coepisti. Stephani enim Zweig libros libenter legi (praesertim *Castellio adversus Calvinum*) et eos toga Latina optime decet. Commentarii quoque de rebus Catalanicis lectu sunt dignissimi, cum his diebus nuntii televisifici et diurnarii longe lateque de Catalonia loquantur, modo scite, modo temere. Cum te consentio nonnullos illustres fautores “libertatis Cataloniae” probitate minime excellere et eorum earumque mores interdum inurbanos superbosque esse. Cives, qui in Hispania manere cupiunt, minis et vi terrere est pessima ratio, mea quidem sententia, novae rei publicae condendae. Hoc modo non libertas, sed tyrannis oritur.

Laetum Festum Dominicae Nativitatis et felicem, pacificum Latinissimumque annum Domini 2018 tibi exopto!

Optime vale!

d.23 m.Dec a.2017

Nicolaus Marco sal.pl.dic.

Summas gratias, care Marce, pro votis benevolis mihi in Natale Domini et Annum Ineuntem scriptis.

Ceterum valde gaudeo te textus Epistulae meae Leoninae perlegisse meque de sententia tua certiolem fecisse.

Tu quoque, amice Latinissime, utinam feliciter celebres Natale Domini et Anno Domini 2018 fruaris faustissimo!

Medullitus te salutatur

Nicolaus Groß
LEO LATINUS

d.20 m.Nov a.2017

Prof. em. Andreas Fritsch Berolinensis

Andreas Nicolao sal. plur.

Denuo tibi gratias ago pro epistulis Leoninis recentissimis, id est centesima quadragesima quinta et centesima quadragesima sexta. Vidi te etiam de eo symposio commemorasse, quod erat de Litteris recentissimis. Ibi professor Christoph(orus) Schubert rettulit de libris puerilibus nostra aetate in Latinum conversis. C. Schubert, qui antea docuerat in ea universitate studiorum, quae est in urbe, cui nomen est Wuppertal (Vallis Vipperae), nunc est professor in universitate Erlangensi. Commemoravit complures libellos, nonnullos vituperavit, sed nomina interpretum reticuit. Etiam Hotzenplotzium tuum breviter commemoravit, sed de cognomine ‚*raptoris*‘ addubitavit, quia nomen raptoris magis tales viros significaret (ut ille dixit), qui Theodisce *Mädchenräuber* vel etiam *Vergewaltiger* nominantur. In prima sententia vocabulum *scamni* addubitavit, quod esset *Hocker* sive *Schemel*, nec posse dici *scannum* esse ‚*situm*‘, quia hoc adiectivum (situs, a, um) non esse aptum. Sed haec erant singula exempla, de quibus eo tempore disputare non potuimus. Maxime autem vituperavit illos libellos, quos Franz Schlosser edere pergit, sed ne illius quidem nomen commemoravit. Commendavit autem, ut philologi classici hoc genus litterarum diligentius observarent et iudicarent. Periculum enim esse, ne parentes sive propinqui pueris in schola Latine discentibus tales libros donent, quia ipsi confidant pueros, qui illos libros legant, celerius, iucundius, securius Latine discere posse. Hoc quoque hodie esse munus professorum litterarum Latinarum, ut de Latinitate talium librorum iudicent.

Proximo anno erit conventus palaeophilologorum in universitate studiorum Saraviensi. Ibi C. Schubert (die 5^o m. Apr. hora 11:30) acroasin faciet de hoc argumento: ‚*O pulcherrimam Panamam? Überlegungen zu Wesen, Sinn und Effekten neuer lateinischer Kinderbücher.*“ In colloquio, quod erat in urbe Wuppertal, dixit C. Schubert se velle in conventu Saravpontano tantum tales libellos exponere et commendare, quorum Latinitas ei bona videtur. Fortasse tu eo tempore Saravipontum (ubi est ‚*alma mater*‘ tua) venire vis, ut ibi post tam longum tempus inter nos convenire et colloqui possimus.

Nisi fallor, aliquando mihi scripsisti te composuisse indicem Epistularum Leoninarum. Pergratum mihi feceris, si mihi scripseris, ubi sive in qua epistula ille index inveniri possit.

Bene vale.

Die Sancti Silvestri anni 2017.
Nicolaus Andreae sal.pl.dic.

Care Andrea,

gratias tibi ago, quod mihi rettulisti de tribus adnotatiunculis Christophori Schuberti, quae spectant ad libros pueriles Latinê redditos. Îdem philologus de raptoribus deque scamnis aliquo loco sitis parum rectê iudicare mihi videtur (legas ea quae scripsi EL 147, p.14-18: *Tres argutiolae Hotzenplotzianae*).

Generaliter autem laudandi sunt philologi, qui tractent tales versiones Latinas ratione philologâ. Gaudendum quidem est hac aetate nostrâ homines esse, qui studeant fabulas modernas in sermonem Latinum convertere, sed dolendum nonnullos more Icarum altius volare quam sciant possintve. Omnino nescio, quidnam in mentem incidat istis poetastris (sit venia verbo), qui, quamvis vix sciant simplicem sententiam Latinam prosaicam fingere satis rectam, tamen audeant versûs pangere Latinos? Omnium autem audacissimus mihi videtur esse ille Franciscus Claustrarius, quem, cum “*Apologos Grimmianos*” soloecismis scatentes iam in EL recensuissem (*Versiones Fabellarum Grimmianarum Latinae ad obrussam exactae*, EL 106, p.14-24), quodam cum horrore in catalogo Societatis Librorum Scientifica Darmstadiensis (WBG) lêgi ausum esse theodisca carmina artificiosissima suo more latinizare! (WBG Magazin Nov. 2017, p.29: „*Carmina pulcherrima. Die schönsten Balladen: Latein – Deutsch. Die schönsten Balladen von Goethe (!), Schiller (!), Heine (!), Mörike (!), Droste-Hülshoff (!), Fontane (!), Conrad Ferdinand Meyer (!): Wer schon immer einmal wissen wollte, wie diese auf Latein klingen, muss unbedingt zu diesem zweisprachigen Bändchen greifen*“). Suntne editores huius Societatis librorum tam bene famatae tam imperiti, suntne iis consiliarii tam inepti, ut publici iuris faciant versiones huiusmodi calamitasas? Nonne duplex scelus ille Claustrarius commisit, eo quod simul poetas nostros clarissimos diffamavit deformavitque sermonem Latinum?

Sed haec hactenus. Iam iam desinam aemulari cum *Sixto Beckmesser*. Die Sancti Silvestri utinam nobis sit confidentia rerum futurarum!

In annum 2018 ineuntem, care Andrea, optima quaeque tibi exopto: Utinam prosperâ valetudine fruaris, utinam felicissimê procedant studia tua Latinissima!

Medullitus te salutat
Nicolaus Groß
LEO LATINUS

Martis die 28 m.Nov.2017

MMag. Michael Hirschler Austriacus

De quodam novo libello Latini scripto, qui „Calio“ inscribitur

Michael Hirschler Nicolao Groß sal.pl.d.

Gratias tibi ago plurimas, quod magna cum industria Epistulas Leoninas semper divulgas. Libenter Epistulas Leoninas lego.

Nuper scripsi divulgavique libellum novum, qui «Calio. Fabula Latina» inscribitur. Hic libellus totus Latine scriptus est. Libellus emi potest in interrete apud *amazon*. Annis mensibusque praeteritis ad usum discipulorum multi novi libri Latini editi sunt. Nunc ego ipse fabulam fictam scripsi et magno cum gaudio tibi unum exemplar mitto.

Si occasionem habes, peto a te hanc fabulam in Epistula Leonina annuntiari, ut quam maximi homines linguam Latinam amantes accipiant hunc libellum exstare.

Hic libellus est de mythologia Graeca: Calio, una e Dianae nymphis, non solum summae pulchritudinis, sed etiam summae audaciae est. Quodam autem die Amorem adeo irridet, ut deus puerilis eam puniat: Calio enim iuvenem quendam vehementer amat perditque virginitatem suam. Hac re audita Diana pulchritudinem eius aufert. Calio ergo deformis ac contempta in silvis vivit – usque ad hunc diem, quo Calio iuvenem quendam convenit, a quo cursu temporum amatur.

Haec fabula est facile lectu. Scripsi eam et discipulis studentibusque linguae Latinae et omnibus Latinitatem vivam amantibus. Fabula enim scripta est neque disputationis philologicae neque disciplinae grammaticae causa, sed delectationis causa. Unicuique, qui/quae hunc libellum explicat, volo dare facultatem, ut sine molestia hanc fabulam mythologicam et facile et bene legere possit.

Cura ut optime valeas,

Michael Hirschler

VOTA IN ANNUM MMXVIII FERENDA



CARA LECTRIX, CARE LECTOR,

IN ANNUM MMXVIII INEUNTEM



LEO LATINUS

OPTIMA QUAEQUE TIBI EXOPTAT.



ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôt tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM QUADRAGESIMAM SEPTIMAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Papae Silvestri, i.e. Die Anni Ultimo,
31. m.Dec. a.2017**

Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>